Al Cav.re Avellino
in segno di venerazione
sienza l'autore

13

DE

GERMANICO-TRIPTOLEMO

IN PATERA AQUILEIENSI CAELATO.

SCRIPSIT

CAROLUS ODOFREDUS MÜLLER.

CUM TABULA AERI INCISA.



ESTRATTO DAGLI ANNALI DELL'INSTITUTO DI CORRISPONDENZA
ARCHEOLOGICA VOL. XI, PAGG. 78-84.

Cum ante hos quinque annos Cæsarei Musei quod Vindobonæ asservatur, admirabilia cimelia perlustrarem, maxime tenebat me opus cælatum, elegantisssima Græcorum arte conspicuum, cuius et illo tempore diligentius examinandi et nunc, specie ab egregio artifice scite expressa, cum eruditis omnibus hominibus communicandi copiam mihi fecit viri illustrissimi, qui illis thesauris præfectus est, Comitis de Dietrichstein, insignis liberalitas.

Patera est Aquileiæ, ut narrabatur, reperta, ex argento egregio artificio cælata et auro (quod nunc quidem pæne evanuit) ita superinducta, ut vestimenta potissimum aliaque quædam insignia, humanis corporibus addita, eo exsplendescerent: quam metalli colorum distinctionem antiquis admodum placuisse constat. Opere autem cælato, statim intuenti manifestum est, exhiberi Triptolemum Eleusine proficiscentem, ut Cereris dona cum omnibus terrarum populis communicet: similiter ac in aliis antiquæ artis operibus, maxime vasculo picto, quod Poniatowskyi nomine distinguitur, expressus est. Summam anaglyphi partem obtinet Jovis fulmen gestantis dimidia species ex æthere eminens, qui quod caput velatum habet (1), id reconditam ejus et arcanam vim significare videtur, qua dirum illud inferorum et superorum deorum certamen ad salutarem finem perduxerit. Medio quasi itinere inter terram et Olympum consederunt Ceres et Proserpina; Ceres ea veste induta et amicta qua assolet, magnam facem dextra tenens, ita formatam, ut sæpius in operibus romanorum temporum conspicitur (2), Proserpina seminudo corpore, spicea serta capite manuque dextra gestans ita versus matrem inclinata eoque eam voltu intuens, ut carissimo ejus adspectu, tam diu desiderato, vix satiari posse illam appareat. Humero autem ejus deae innititur, quasi intima cum ea familiaritate conjuncta, mulier tenui tunicula vestita, quæ vitta caput ambiente et redimiculis inde dependulis Hecaten, ut puto, se prodit (3), cuius auxilio Proserpina ex inferis ad olympios deos re-

(1) Copiose de ea re disputavit Ed. Gerhard. in Prodromo conjuncto cum Antiquis monumentis ab eo V. D. editis Cent. I, tab. 1. Pauca quædam exempla composui in Compendio archæol. §. 350, 6.

(2) Velut in denario Memmiano et Pompeianis quibusdam picturis.

(3) Ἑκάτη λιπαροκρήδεμνος, Hymn. Homeric. in Cererem v. 25.

ducta est. Itaque hæc anaglyphi pars spectat ad Proserpinam matri et cælestium deorum consortio redditam. Sed in inferiori eiusdem operis cælati parte currus conspicitur duobus draconibus iunctus, quos duæ virgines nutriunt, Celei, ut videtur, filiæ, hic fere figuratæ ut in vasculo illo figlino superius memorato, cujus picturam Ennius Quirinus Viscontius insigni cura illustravit. Adstat medio loco vir juvenis quem Triptolemum agere apparet, laurea cinctus (1) et pallio græcanico amictus, qui in eo est, ut ture ex acerra sumpto aram adoleat. Circumstant eam aram, in qua Proserpinæ raptus subtilissimo opere expressus est, puer camillus, puella calathum sublatum capite portans, alterius denique pueri figura minus conspicua. Pone eas virgines quæ draconibus alendis mulcendisve operam dant, arbor attollitur, quæ non dubito quin illam oleam referat ex trunco revirescentem, cuius sub umbra Ceres apud Eleusinios primum requievisse ferebatur. Infimo denique loco Terra mater nudis mamillis, ut fingi solet, et cum bove, agriculturæ ministro, in solo cubans conspicitur (2).

Descripsimus, quæ oculis antiquæ artis operibus aliquantulum assuetis statim se offerunt: sed supersunt quædam paullo curiosius illustrando. Non dico celebratissimam Triptolemi fabulam: siquidem in origines atque primigeniam fabularum naturam in unoquoque sculpto pictove opere inquirere, nec refert nec iuvat. Sed qui huic potissimum toreumati proprius et peculiaris, et ut diligentius exploretur dignissimus esse videtur, eius viri habitus est quem Triptolemum agere dicebamus. Non enim esse eum Triptolemum, eius viri vultus, habitus, cultus demonstrant, omnia ab Eleusinio illo heroe alienissima, quæ non ipsum Triptolemum, sed insignem quendam virum Triptolemi nomine cultum et celebratum hac specie proponi manifestissime produnt. Ac Germanicum, Drusi filium, significari et mihi, cum pateram conspicerem, visum est, et aliis viris antiquæ artis peritis placuisse comperi (3): quippe cuius et statura membrorumque symmetria, et facies oris, quantum in exiguo toreumatis ambitu dignosci potest et ipse pallii amiciendi mos, simillima deprehenduntur in aliis artis antiquæ operibus, velut in eo signo marmoreo, quod in parietinis basilicæ Gabinæ inventum in Parisiensi museo asservatur (4). Accedit alte-

(1) Hanc cum ipsum vasculum intuerer, agnovisse me puto: sed in lineis, quibus artifex diligentissimis id adumbravit, vix eam conspici posse, non diffiteor.

(2) Ἐν σκιῇ, αὐτὰρ ὕπερθε πεφύκει θάμνος ἐλαίης, Hymn. Homer. in Cerer. v. 100.

(3) Nisi memoria fallor, Arnethius V. Cl. sic sibi videri mihi significavit.

(4) Musée royal. n. 141. Mongez, Iconographie romaine pl. 34, n. 3.

rum eiusdem plane generis monumentum, iam diu notum illud et celebratum: gemma ectypa, quam nunc dicunt *cameam*, ex onyche præclaro artificio scalpta, quæ in cimeliis Regis Francogallorum cum regia biblioteca coniunctis servatur (1). Conspicitur in ea currus magnifice ornatus et duobus draconibus iunctus; quo iumentorum genere Triptolemus uti solet. Huic insistit vir iuvenis militari Romanorum habitu conspicuus, ex sinu vestis de collo pendulæ, quam læva attollit, dextra semina promens eo plane gestu quo Triptolemus fingitur. Adstat mulier papavera et spicas, Cerealia munera, præ se ferens et altera manu volumen libri tenens, qua Cererem legiferam sive thesmophoron significari, vix in dubium vocari potest. Hanc pompam cum superioris ætatis sancta simplicitas Iosephi Patriarchæ triumphum appellasset: iam dudum a viris antiquitatis gnaris Germanicus, Drusi filius, in iuvene illo agnitus est: ac si de similitudine eius voltus ab artifice expressa dubitari liceret, Agrippinam tamen, eius conjugem in Cerere illa liquido apparere, testes affirmant gravissimi (2).

Quæ cum ita sint, quæri debet, qui factum sit, ut antiqui artifices Germanicum, virum militari maxima laude illustrem, Triptolemi cuius omnis fabula ad agriculturam spectat, imagine potius nobilitare studuerint, quam Martis vel ex heroibus eorum potissimum, qui feroces extremi orbis nationes debellavisse ferebantur. Ac Græcos quidem constat, Germanici humanitatem et benevolentiam, eiusque animum optimis quibusque artibus eruditum, et mores liberales et vere civiles omni laudum genere celebrasse, et Athenienses maxime, ut Taciti (3) verbis utar, quæsitissimis eum honoribus excepisse, vetera suorum facta dictaque præferentes: sed quibus argumentis id efficere potuerint, ut Eleusinio suo heroi æquipararent Germanicum, haud assequor (4). Et Lesbios, tituli marmori inscripti testantur, Agrippinam Θεᾶς Αἰολίδος καρποφόρου nomine celebrasse: Germanicum autem Triptolemum dictum esse, neque Lesbiorum, neque alius cuiusquam Græcorum populi monumenta significant. Sed omnis, puto, eius quæstionis difficultas expedietur, si statuerimus Antiochenis arti-

(1) Edidit eam delineatam in publicum et diligenter descripsit Oudinet in Historia Academiae inscript. et elegant. literar. Francogall. T. I, p. 278. Montfaucon, Antiquité expliquée, Supplem. T. III, pl. 7. Millin, Galérie mythologique tab. 48, n. 220. Mongez, Iconographie romaine pl. 24*, 3.

(2) Oudinet eam explicationem prioribus acceptam refert, illi Mongez T. II. p 135.

(3) Tacit. Ann. II, 53.

(4) Ex his tamen Atheniensium adulationibus Mongez scalpturæ illius argumentum depromptum esse putat.

ficibus eam imaginem inventam, sive, ut rectius dicam, ab ipsa Antiochensi civitate eos honores primum in Germanicum collatos esse, id est, ab ea civitate, quæ et Triptolemum conditorem coleret et, si Germanicum novum conditorem sibi fore prædicaret, neque inepte neque improbabiliter ei adularetur. Enimvero Germanicus, cum Orienti a Tiberio præfectus post longa itinera per Græciam, Asiam, Armeniam, Syriam Euphratensem, Ægyptum facta, una cum Agrippina uxore Antiochiam peteret (ubi Pisonis per insidias mox tristissima ei mors obeunda erat): Antiochensium civitati alter Triptolemus videri debebat, qui urbi, cuius ille primordia auspicatus fuerat, novum sæculorum ordinem et felicia tempora allaturus esset: præsertim si etiam Antiochiæ, quod Alexandriæ fecit (1), apertis horreis publicis pretia frugum levaverat, et, ut in his terris ubique solebat, græcum amictum græcosque mores et religiones affectabat.

Quod autem dixi, Triptolemum ab Antiochensibus conditorem civitatis suæ, scilicet Seleuco Nicatore multo antiquioris, habitum esse, id quale fuerit et quibus de causis factum, operæ pretium videtur paucis explicare. Iisdem locis, quibus Seleucus magnam illam Antiochiam condidit, jam multis ante sæculis, ut videtur, pagus fuerat Ione sive Iopolis, situs in eo colle, qui Silpius mons dicebatur, in quo postea arx Antiochensium extructa est (2). Huc, Antiocheni ferebant, Ionem illam Argivam, Inachi filiam a Jove amatam, cum ex Ægypto fugata esset, pervenisse atque ibidem diem obiisse extremum, deinde ab Inacho Triptolemum Eleusinium atque Argivos nonnullos missos esse, qui filiam amissam quærerent, eosque Iopolin illam cum Saturni delubro condidisse atque ab ipsis Syris dictos esse Ionitas (3). Ne quis miretur, quod Triptolemus cum Argivis conjungitur et ab Inacho Argivo in Orientem missus esse fertur: ii qui eam fabulam fin-

(1) Tacit. Ann. II, 59.

(2) V. Malelas chronogr. p. 29, 37, ed. Bonn. (qui scriptor in aliis rebus levissimus in rebus Antiochensium præstantissimos sequitur auctores) et Libanius Antioch. p. 288-289, ed. Reiske. Cf. etiam Stephanus Byz. v. Ἰώνη, Suidas v. Ἰώπολις, Eustath. in Dionys. Perieg. v. 918, p. 281, ed. Bernhardy.

(3) Hæc ex Malela p. 28-29, et Chronico Paschali p. 41-42, ed. Paris. Eadem brevius Cedrenus p. 21. Par. Similia Libanius p. 287 sqq., nisi quod Ionem ipsam huc pervenisse ignorat. Strabo XVI, p. 750, fabulam de Triptolemo ad Ionem quærendam misso commemorat, Triptolemique posteros inter Antiochenses esse tradit, illique heroi in Casio monte sacrificare et feriari solitos esse Antiochenses narrat. Cf. Rad. Rochettus, Hist. colon. græc. I, p. 251: qui vir doctissimus verique inveniendi cupidissimus nunc puto aliter de hoc fabularum genere censet atque olim.

xerunt, noverant sine dubio, etiam Argivos Triptolemum sibi vindicasse, et a Trochilo genitum tradidisse, qui Argis Eleusinem venisset (1). Quod autem Ionem Inachi filiam in agrum Antiochensem venisse ferebant, huius rei nullum afferre poterant argumentum nisi nomen illius pagi, qui Ione sive Iopolis dicebatur: quod quidem nomen, cum Syriæ pagum designaret, a Syris non a Græcis ab origine habitatum, e nulla sane lingua repeti potest, nisi Syriaca. Syros enim homines eum pagum habitasse, eo minus in dubitationem vocare licet, quod etiam iis temporibus quibus Antiochia in Orontis ripa a Græcis Macedonibusque colebatur, pagi circumquaque siti Syriaca nomina Syrosque incolas syriaca lingua loquentes habebant (2). Accedebat, quod certo quodam anni tempore hic ritus ab Antiochenis observabatur, ut fores pulsarentur et simul clamaretur: «Salvetur anima Ionis»: qui ritus, non dubito, quin ex antiquis Syriæ religionibus superfuerit, sed Græcam sive græcissantem formam induerit, ita ut pro Syrio numinis alicuius nomine Græcum illud substitueretur (3).

Etiam Triptolemum, haud facile adducar ut credam, nullo plane prætexto et temeraria tantum quicquid placuisset fingendi libidine Antiochiam esse traductum, præsertim cum certa quædam inter Antiochenses gens esset, quæ se a Triptolemo ortam putaret illique heroi in Casio monte sacra faceret. Græcam tamen ex ipsa Attica coloniam temporibus fabulosis in illam Syriæ oram deductam esse, omnium difficillimum est ad credendum: etiamsi Eudocia Augusta, Theodosii minoris uxor, Atheniensis philosophi filia, Antiochensibus ambitiosa hac allocutione scite blandita est.

Ὑμετέρης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι (4).

(1) V. Paus. I, 14, 2, et cf. Lud. Preller de Cerere et Proserpina p. 300.

(2) Velut pagus Charandama prope Daphnen (Vita S. Marthæ in Actis Sanctorum Maii T. V, p. 409, 414), pagus Gandigora eiusdem tractus (ib. T. V, p. 415-416), pagus Ghisira in agro Antiocheno (Assemanni Bibliotheca T. II, p. 323). Paganos circa Antiochiam etiamtum Syriaca lingua usos esse, testatur Io. Chrysostomus, Homil. 19, 1, T. II, p. 189. *a.* de Sanct. martyr. I, p. 651. *a.* ed. Montfaucon.

(3) Ἰοῦς ψυχὴ σωζέσθω, clamatum esse narrat Malelas p. 29. Similia Libanius p. 289.

(4) V. Euagrius, Hist. eccles. I, 20, cum Nicephoro XIV, 50. – Niebuhrium (in Museo suo rhenano T. III, fasc. I, p. 40. Cf. Opusc. min. p. 204), his de Triptolemo fabellis nimium pretium statuisse, ac mythos cupidius in historias convertisse, recte monuit Prellerus de Cer. et Proserp. p. 301. Sed hic V. D. ubi scribit, Triptolemi posteros e Gordyene, quæ in Assyria est, Antiochiam esse a Seleuco traductos, Strabone XVI, p. 760, non recte usus est.

Convenientius ad fabularum et sacrorum in antiquitate vicissitudines et mutationes opinabimur, indigenam quendam Asiæ Syriæve heroem, antiquitus apud Ionitas cultum, eo temporis quo Oriens magis magisque Græcis moribus et artibus assuescebat, in Triptolemum esse mutatum. Ac novimus quidem Lydum eiusmodi heroem, Tylum appellatum, cuius memoriam in his ipsis Annalibus (1) numo Sardiano collato cum Dionysii Halicarnassensis narratione instauravimus. In numo illo Triptolemi Attici ad instar draconibus vectus frugesque dispergens conspicitur; Dionysius autem eum Terra ortum tradit filiamque habuisse Halien. Nunc addere iuvat, eundem Tylum, nomine paululum immutato, in historiis Xanthi Lydi (si Xanthi erant, quæ eius nomine ab antiquis designantur) celebratum fuisse. Xanthus enim, ut Plinius ait (2), in primo historiarum libro tradiderat, occisum draconis catulum revocatum esse ad vitam a parente herba, quam balin nominat, eademque deinde Thylonem, quem draco occiderat, restitutum saluti. Eandem fabulam prolixa neque iniucunda narratione illustravit Nonnus, qui Tylum, Mæonium, a serpente tradit interfectum, hunc vicissim a Damasene Gigante occisum, sed a dracæna in vitam restitutum esse admota vulneri herba, quam Διός ἄνθος dicit: quod cum vidisset Moria nympha, Tyli soror, eadem illam herba usam esse ad Tylum in vitam revocandum (3). Hæc Nonnus, uberrimus ille et non dico inexhaustus, sed vix delibatus fons eius fabularum generis, quod hellenisticum dicere licet, id est orientali stirpe prognatum, sed Græcis formis excultum et expolitum (4). Si quis autem quærat, quæ necessitudo fuerit inter hunc Lydiæ heroem Syrosque Ionitas, verbo monendum, Lydorum religiones, quantum nobis innotuerunt, mixtas fuisse videri ex Phrygiis et Assyriis sive Syriis, quo factum est, ut idem Hercules Sandes sive Sandon, qui Lydorum fabulis celebratur, a Cilicibus, Antiochensium conterminis, splendidissimis sacris coleretur (5). Ac Phœnicium quendam Tri-

(1) Annal. T. II, p. 157.

(2) Plinius H. N. XXV, 2, 5, §. 14, ed. Sillig.

(3) V. Nonnus, Dionys. XXV, 451-551.

(4) Quocirca Nonni fabulas examinare et ad fontes suos caussasque revocare operæ pretium esset, iis potissimum, qui interiorem Orientis ἑλληνίζοντος cognitionem nobis comparare student. Plurimas fabulas Nonnus a Bithynis ad Sangarium, ubi Nicæa ad Ascanium lacum sita erat, et a Bybliis et Berytiis (quorum urbem nomine Beröes celebrat) excepisse videtur.

(5) Scriptoribus, quorum de Sande sive Sandone narrationes composui et explicui in Niebuhrii Museo rhenano T. III, p. 22 sqq., nunc adiicio Nonnum, qui in Dionys. XXXIV, 191: Κιλίκων ἐνὶ γαίῃ, ait, Σάνδης Ἡρακλέης κικλήσκεται εἰσέτι Μορρεύς.

ptolemum etiam gemma scalpta, quæ a possessore Demidoffiana dicitur (1), proponi conjicio, siquidem iuvenis ille chlamyde amictus, sinistra spicas tenens, dextra uvis, ut videtur, oblatis duos serpentes pascens, Triptolemo nescio similiorne sit an dissimilior: quam ambiguam speciem si cum Phœniciis literis in eadem gemma cælatis componimus, eo adducimur, ut Asianum heroem in græcam Triptolemi formam mutatum agnoscere nobis videamur.

Sed hoc disputandi argumentum, verendum est, ne in nimis effusos et longinquos campos nos abducat: satis habebimus, si hac in re assensum aliorum VV. DD. obtinuerimus, quod nulla in orbe terrarum civitas Germanicum meliore iure et splendidiore prætexto Triptolemi nomine colere et celebrare potuerit quam Antiochenses.

Gottingæ, decembri mense a. MDCCCXXXVIII.

(1) V. Institut. Archæol. Ἐκμαγεῖα gemmarum (Impronte gemmarie), Cent. II, n. 37. Gesenius scripturæ linguæque phœnic. monum. p. 222, tab. 28, n. LXVII ter.

